

292

290

296

mordet aut unguibus lacerat, statim veneno infectus moritur, ac
si morsu pessimae bestiae fuisset laesus.

286

Ad hanc insulam missi fuerunt duo magni apostoli, sanctus
Andreas et sanctus Paulus. Andreas quidem in Cythea, castello
Cretensi, ad tempus praedicavit, et postea in Achajam navigavit,
Paullus autem in Aulaciam principalem Cretae civitatem processit
et Titum ibidem civem divitem ad fidem convertit eumque epis-
copum ordinavit, ad quem et epistolam scripsit pulchram, instruens
eum, quomodo oporteat episcopum esse perfectum. Civitatem
illam Aulaciam aestimo esse Candiam, quae hodie metropolis est
insulae et major, in qua pluribus ante diebus degui. Civitas haec
est magna et populosa et negotiatoribus plena de omni gente
congregatis (170 a). Dependet autem ad clivum contra mare
estque optime munita moenibus, turribus et muris et fossatis.
Ecclesia cathedralis est ecclesia latina, in qua corpus S. Titi, dis-
cipuli S. Pauli, episcopi civitatis, quiescit cum aliis reliquiis, de
quibus infra fol. 172 dicam (nota etiam de alio juvene Tito nota
de Candia; in epist. Cyrilli Episc. Jerosol.).

301

Est autem ecclesia metropolitana archiepiscopum habens ab
antiquo, etiam tempore S. Jeronymi, ut habetur ex epistola Cyrilli
ad August. Hipponensem. Et qui nunc est archiepiscopus, etiam
est patriarcha Constantinopolitanus.

281

Sub illa ecclesia sunt etiam ecclesiae et sacerdotes Graecorum
totius insulae; unde, quando volunt vel puerum baptizare vel mor-
tuum sepelire, oportet eos sacramentalia ab illa ecclesia accipere.
In eadem civitate fratres nostri praedicatores pulchrum habent
conventum ad moenia civitatis supra mare, ita, quod una pars
cellarum respicit mare, et fluctus maris irruentes per scopulos et
cautes in murum impingunt, quem tamen dejicere non possunt,
quia super cautes est fundatus, et antequam procellae murum at-
tingunt, confractus est impetus in rupes fremens, verum qui non
est assuetus et per fenestras fretum accurrire videt, horrescit
ab impetu, timens ne murus obruatur.

341

Saepe miratus fui, quomodo fratres in illis cellis possent
quiescere aut studere per confusionem sonitus maris et fluctuum,
quia tantum facit aqua sonitum, quod homo proprium cantum aut
vocem non audit. Aliquando pro temporis deductione jacui in
muro mirans mirabiles elevationes maris, et post admirationem

241

391

191

Ende

Anfang

